

Burdigalenses pro suo animarum zelo à multis retro annis huc respectârant, huc intenderant, vt miseræ nationi opem ferrent : sed pios eorum & arduos conatus, quos periculi facies non terreret, diu subsidiorum ad agendum inopia frustrata est. Restituta demum in Galliam Societate, agere seriò per P. Cotonum cum Magno Henrico cœperunt, sibi vt liceret in his quoque regionibus laborare, & amplexus est Rex Societatis amans tam piam & propensam voluntatem, sed nihilominus tamen utilibus consilijs longa adhuc & odiosa mora interuenit. Nulli adhuc Galli regionem incolebant, commorandi animo, & qui antè à Rege missus fuerat, explorandi tentandique causâ, alienus à sacris nostris erat, & ijs postmodum rebus, non solùm infectis, sed etiam prope desperatis domum in Galliam redijt : iussit tamen Princeps inuictus ne desponderemus animum, mittendi solùm destinarentur, monitum se cùm maturum foret; atque adeò vt arrha quædam esset sponsonis, pecuniam ex eo tēpore in
viaticum